



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

7. De contrarietate qualitatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

62 *Probatur denique antecedens primum quo ad certam partem*, quia ex suppositione quod non repugnet ipsamet qualitas infinite intensæ secundum se, & etiam quod non repugnet eam poni in subiecto aliquo, non repugnet quod illud subiectum ea mediantem producere possit in alio subiecto applicato similem qualitatem tantæ perfectionis; si forte deberet eam producere; neque ex productione illa sequeretur magis inconueniens quam illud ipsum de infinitate qualitatibus productæ; quod non est inconueniens vlllo modo in casu.

Confirmatur, quia non est inconueniens quod qualitas infinite extensa producat aliam similem; ergo neque quod qualitas infinite intensæ a paritate rationis.

Dices contra secundam partem antecedentis iam probatæ: si qualitas infinite intensæ communicaretur alicui subiecto finito, sequeretur, quod perficeretur perfectione infinita: sed hoc videtur inconueniens.

Respondetur distinguendo sequelam: perfectione intrinseca orta ex coniunctione alicuius formæ infinite cum ipso, concedo, nec id est vlllo modo inconueniens; in perfectione intrinseca & identificata sibi, nego sequelam.

CONCLUSIO III.

63 *Si detur status in speciebus, ita ut possit dari aliqua finita & limitata tantæ perfectionis, qua perfectior a Deo nequit produci, debet etiam consequenter dari status in intentione quæ statum saltem sensibilem, & earum, quæ concurrunt ad actus vitales. Hæc sine dubio est Scoti in 3. dist. 13. & eam tantum intendunt Scotista.*

Probatur manifeste, quia si detur status in speciebus debet dari status in intentione actuum vitalium: sed non potest dari status in illa intentione absque statu in quolibet ad illas concurrentibus; quo enim quæritates sunt magis intensæ, eo magis intensi sunt actus, ad quos concurrunt; nec possibilis est maior intentio aut actiuitas in principio, quam possit requiri ex parte effectus: ergo si detur status in speciebus, debet dari status in qualitatibus huiusmodi.

Probatur maior primo, quia actus vitales, ut supra dixi, non intenduntur per additionem gradus ad gradum, & consequenter actus intensior est specie perfectior quam actus minus intensus: ergo si detur status in speciebus, debet dari status in intentione actuum huiusmodi.

Probatur secundo eadem maior, quia licet non repugnet aliquod infinitum, quod haberet esse infinitum ex inclusione plurium partium siue extensionis, siue intensio- nis, videtur tamen repugnare aliquid infinitum indiuisibile, non minus quam repugnaret aliqua species infinita: ergo, si ex repugnantia speciei infinite, debet dari status in speciebus, debet etiam dari status in intentione actus, quandoquidem repugnet actus infinite intensus non minus quam species quæcumque infinita.

Expressi in conclusione, qualitates sensibiles & concurrentes ad actus vitales, quia si sint aliquæ qualitates aliæ, de quibus non est eadem ratio, ex eo quod non essent naturæ concurrere ad aliquem effectum indiuisibilem, quatenus sunt intensæ, ob hanc ipsam disparitatem posset admitti, quod non daretur status in intentione earum, nec id esset aut inconueniens, aut contra *Scotum*.

Proposui etiam conclusionem conditionaliter & non absolute, quia nolo tam ex minare, an detur status in speciebus: & hoc supposito, conclusio non habet difficultatem, meo iudicio.

CONCLUSIO VLTIMA.

64 *Qualitas quæcumque intensæ per inclusionem plurium graduum non habet terminum, quo ad paritatem, nec etiam qualitas intensæ sine inclusionem plurium graduum. Hæc est communior, & licet citetur Scotus pro opposito in 2. dist. 2. g. 9. nihil tamen dicit ibi, quod sit oppositum huic conclusioni.*

Probatur prima pars, quia est diuisibilis in infinitum, alias non esset acquisibilis per motum successuum & continuum, ut patet: ergo non datur vlla minima pars ipsius, quæ non sit vterius diuisibilis; nec certe video quomodo

de hoc possit dubitari. Fortassis volunt aduersarij, quod quamuis sit diuisibilis in infinitum, possit tamen produci in instanti aliqua pars ipsius.

Sed si loquamur de productione qualitatum non habentium contrarium in subiecto, nec resistantiam aliquam, ut est lux, omnes concedunt illas produci cum tota sua intentione in instanti; si vero loquamur de qualitatibus diuisibilibus habentibus contrarium, certum est illas produci & destrui per motum successuum; & consequenter quemadmodum non datur minima pars motus, ita nec dari posse minimam partem termini per illum acquisiti aut deperditi: neque hæc res maiori indiget declaratione, aut meliori fundamento; nec prorsus intelligo discursum *Arriagæ*, quo oppositum conatur ostendere *hic diffut. 3. sect. 4.*

Probatur etiam secunda pars, quia sicut non potest dari status in qualitate diuisibiliter intensæ, ita nec in indiuisibiliter intensæ: tum quia eadem est ratio, tum quia qualitas diuisibiliter intensæ in quacunque intensione quantumuis remissa potest habere qualitatem intentionalem sibi conformem: ergo si non detur status in vna qualitate, nec etiam in altera.

Dices: si non daretur status in qualitatibus indiuisibiliter intensæ quo ad paritatem, sequeretur quod qualitas intensæ ut vnum verbi gratia esset infinita perfectionis, quia excederet infinitas species maioris, & minoris perfectionis, quæ sub se darentur.

Respondetur, quemadmodum non sequitur quod lignum palmare sit infinita extensionis, quamuis sit maius quacunque parte: ex infinitis partibus in quas diuidi potest, licet esset infinita extensionis, si excederet infinitas partes æquales vni certæ, & determinatæ, ita actus vitalis intensus indiuisibiliter ut octo, verbi gratia non est infinita extensionis simpliciter & categorematice, licet excedat in perfectione infinito, alios actus se imperfectiores, qui possent dari, quia illi actus non sunt determinatæ perfectionis & æqualis vni certæ.

QUESTIO VII.

De contrarietate qualitatum.

65 *EX*perientia compertum est quasdam qualitates ita sibi inuicem opponi, ut ad introductionem vnius expellatur altera, vel diminuitur. Sic enim quotidie quando introducitur frigus, expellitur calor. Et quia oppositio huiusmodi qualitatum non est contradictoria, nec priuatiua, cum vtrumque extremum sit positium quid; nec relatiua, cum neutrum extremum sit relatio, hinc communiter vocantur contraria, & qualitates sic oppositæ vocantur contrariæ, & quidem communiter supponuntur esse contrariæ propriissime loquendo. Sed *Arriaga diffut. 5. met. num. 37.* putat eas non esse proprie loquendo contrarias, nisi sicut duo vbi, aut duæ formæ substantiales sunt contrariæ.

Ut intelligatur autem sententia huius Authoris, & res ipsa in se, aduerte secundum ipsum, illas formas solas censendas proprie contrarias, quæ non ex incapacitate subiecti, sed ex natura sua formali habent contrarietatem: vnde quia duo vbi distincta in eodem subiecto non habent oppositionem ex natura sua, ut patet ex eo quod possint reperiri naturaliter in eadem anima & eodem Angelo, sed ex limitatione subiecti; non debent censeri proprie contraria: At quia amor & odium, assensus & dissensus eiusdem subiecti, ex natura sua habent oppositionem, & non ex limitatione subiecti, ut patet ex eo, quod neque in ipso Deo reperiri simul possint, quamuis ex se nullam habeant limitationem; propterea sunt propriissime contraria. Hoc supposito, probat hic author calorem, & frigus non esse contraria proprie, quia non habent ex sua natura se expellere, sed ex incapacitate, ac limitatione subiecti, sicut duo vbi. Quod probat: tum quia non est vlla ratio, ex qua colligatur oppositio inter illa, nisi ex eo quod expellant se inuicem: sed illa ratio non probat oppositionem proprie dictam inter illas magis, quam inter duo

К К 2

Qualitas intensæ non habet terminum quo ad paritatem.

que expellunt se inuicem: tum quia ex natura rei, seclusa limitatione subiecti, non magis opponuntur octauus gradus caloris, & octauus frigoris, quam primus gradus caloris, & primus frigoris: sed hi non opponuntur: ergo neque illi.

Probatur maior, quia in nostra praesertim sententia, octauus gradus est eiusdem rationis cum primo.

Confirmatur hoc ulterius, quia si explicetur contrarietas proprie dicta esse illa, quae oritur ex natura formarum independentem à limitatione subiecti, facile ostendi poterit cur formae substantiales non sint contrariae proprie loquendo; quod tamen difficile esset in alia sententia.

Alij recentiores fatentur quidem, huiusmodi qualitates esse propriissime contrarias, sed dicunt tamen eas non habere contrarietatem ex natura sua formali, quia alias non essent compatibles in gradibus remissis contra experientiam, & dicenda inferius, sed ob limitationem subiecti: & sane haec sententia in re conuenit cum sententia Arriagae, & solum differt in modo loquendi, seu in quaestione de nomine: an scilicet quae hoc modo opponuntur, debeant vocari proprie contrariae nec ne.

CONCLUSIO I.

Qualitates quae excludunt se inuicem ab eodem subiecto, sunt proprie contrariae. Haec est omnium contra Arriagam.

Probatur, quia illa debent vocari proprie contrariae, quae sic vocantur ab omnibus Philosophis communiter: sed sic vocantur praedictae qualitates: ergo.

Confirmatur: nihil aliud intelligitur per formas proprie contrarias, quam qualitates excludentes se mutuo ab eodem subiecto: tales sunt praedictae qualitates, ut patet experientia: ergo sunt proprie contrariae.

Dices exigi ad qualitates contrarias, quod ex natura sua expellant se mutuo; quod non competit dictis qualitatibus.

Contra primo, quia statim ostendam id competere ipsis.

Contra secundo, quia gratissime id dicitur requiri, si non competat illis qualitatibus; nec refert quod duo ubi expellant se, & duae formae substantiales, cum tamen non dicantur contrariae proprie loquendo: nam imprimis solae qualitates expellentes se possent vocari proprie contrariae, & hoc supposito nullae aliae formae essent dicendae proprie contrariae, quae non essent qualitates: sed nec formae substantiales, nec ubi sunt qualitates, ut omnes fatentur communiter.

Deinde, illa possent vocari qualitates proprie contrariae, quae expellunt se successiue ita, ut per partem vnius expellatur aliqua pars alterius, non omnis, & hoc modo excluderentur duo ubi & duae formae substantiales à ratione formarum proprie contrariarum.

Rursus, possent formae contrariae proprie vocari illae, quae expellerent se ab eodem subiecto inhaesionis, & sic excluderentur formae substantiales, non vero duo ubi, quae possunt admitti esse proprie contrariae; quod si placeat haec ubi etiam excludere, addi posset, ad contrarias formas ultra exclusionem ab eodem subiecto inhaesionis requiri, quod non sunt determinationes actuales essentialiter determinantes subiectum ad diuersa actualiter; quod non conuenit illis ubi, conuenit vero calori & frigori.

CONCLUSIO II.

Illae qualitates habent oppositionem ex natura sua, & non ex incapacitate aut limitatione subiecti. Haec est communis apud antiquos contra Arriagam, & recentiores multos.

Probatur primo, quia alias non esset maior oppositio inter calorem & frigus, quam inter duo frigora; vnum ut octo & alterum ut duo: Probatur sequela, quia si non esset oppositio inter illa ex natura sua, sed solum ex incapacitate subiecti, quod quia limitatum est ex natura sua ad tot gradus caloris & frigoris, si habet octo caloris, non potest habere vllum frigoris; omnino talis oppositio reperitur inter duo frigora illa: nam ex limitatione subiecti oritur, quod si habeat octo gradus frigoris, non possit habere vllum gradum vltiorem: ergo tanta est contrarie-

tas inter duo frigora, ac inter frigus & calorem, quod omnino videtur absurdum & contra sensum.

Probatur secundo, quia si ex limitatione & capacitate subiecti oriretur ut habitis octo gradibus caloris, non posset vllum gradum frigoris recipere, & non ex oppositione vlla caloris & frigoris inter se, sequeretur quod habitis octo gradibus caloris non posset habere vllum gradum alterius qualitatis, contra experientiam: neque enim potest capacitas subiecti limitari ad tantum caloris & frigoris magis quam ad tantum caloris & lucis, nisi calor & frigus ex natura sua haberent aliquam specialem repugnantiam, quam non habent calor & lux, seu calor & humiditas.

68 Probatur tertio quia ex natura sua intrinseca exigunt connaturaliter ut introducantur vna in tali intensione expellatur altera, aut secundum se totam, aut secundum partem sui, etiam si subiectum secundum se esset capax vtriusque: ergo opponuntur contrarie ex natura sua, & non ex limitatione subiecti. Consequentia est euident. Probatur antecedens, quia illud exigit connaturaliter expulsionem alterius ex eodem subiecto, quod habet effectum incompatibilem connaturaliter cum effectu alterius: sed ita est de illis qualitatibus: ergo.

Probatur minor, quia albedo habet posse disgregare visum, & nigredo congregare: sed euident est ad sensum non posse visum respectu eiusdem obiecti congregari & disgregari simul.

Deinde calor in tali determinata intensione est dispositio ad formam ignis, connaturaliter illam exigens; & frigus ad formam aquae: sed forma aquae & ignis non possunt naturaliter simul produci; ergo calor & frigus habent effectus connaturaliter oppositos.

Confirmatur, quia illa duo, quae aequaliter deberent habere suos effectus ita, ut non posset dari ratio, cur vnum potius quam alterum habeat suum effectum, si non possent habere illos effectus simul, debet dici non posse connaturaliter conseruari in eodem subiecto: cuius ratio est, quod non magis deberet suspendi conseruatio ad effectum vnius, quam conseruatio ad ipsiusmet conseruationem, & quod inutiliter conseruaretur illud, quod non haberet effectum; & quod de facto semper videamus, quod non conseruentur: sed talia sunt huiusmodi qualitates: ergo.

69 Confirmatur secundo, quia ideo colligit Arriaga alius sensum & dissensum opponi ex natura sua, & non ex limitatione subiecti, quia Deus, qui est illimitatus, non potest habere illos: sed sane licet Deus esset capax caloris & frigoris non posset illa simul habere connaturaliter: ergo ex natura sua habent oppositionem.

Et hinc falsum est, quod dicit Arriaga, nimirum posse aliquod subiectum à Deo produci, quod naturaliter posset huiusmodi qualitates simul habere.

Probatur quarto, quia subiectum idem potest supernaturaliter recipere frigus & calorem in summo, secundum aduersarios: sed certe quando reciperet illos non angere-tur illius capacitas: ergo ex se habet capacitatem ad illa, & consequenter non ob defectum capacitatis accidit quod non possit eas recipere etiam naturaliter.

Dices, subiectum habere capacitatem ad illa recipienda supernaturaliter, non vero naturaliter.

Contra, quia non ex defectu capacitatis in illo oritur quod non possit illa etiam naturaliter recipere: sed ex eo quod nulla causa efficiens possit ea producere simul, ob impossibilitatem, quam habent ex se: nam certe eadem capacitas, quae sufficeret ad ea recipienda supernaturaliter, sufficeret ad ea recipienda naturaliter, si naturaliter ex se simul possent produci.

70 Obicitur primo fundamentum Arriagae, nempe quod non sit ratio vnde colligatur maior contrarietas inter has qualitates, quam inter duo ubi, quandoquidem vtriusque contrarietas colligatur solum ob expulsionem mutua: sed inter duo ubi non est contrarietas ex natura sua, sed ex limitatione subiecti, quia alias non compaterentur in eodem Angelo, aut anima.

Respondetur negando maiorem cum sua probatione: non enim ex impossibilitate earum in eodem subiecto precise

precise id colligitur de qualitatibus, quia, ut supra dixi, alias non magis essent oppositæ, quam duo calores ut octo, aut unus ut octo, & alius ut unus. Colligitur ergo contrarietas qualitatum ex fundamentis supra positis pro conclusione, quæ fundamenta nullo modo currunt de duobus ubi, ut patet: tum quia naturaliter competere possunt eidem subiecto, quod falsum est de qualitatibus tum quia reuera non apparet ex natura intrinseca ipsorum ubi, neque ex aliquo effectu, quem exigunt ex natura sua, quod non possint esse simul in eodem subiecto. Vnde tota ratio, unde colligatur quod non sint incompatibiles in aliquo subiecto, est deducta ex experientia, ex qua constat quod corpus naturaliter non possit esse in pluribus locis: quam experientiam si non haberemus, non possemus colligere, quod non possent esse duo ubi in eodem corpore tam bene, quam sunt de facto in eodem Angelo; sed quamvis non haberemus illam experientiam de mutua expulsiōe qualitatum, de quibus loquimur, considerando naturam ipsarum & effectus quos connaturaliter exigunt, deberemus dicere quod non possent connaturaliter poni in eodem subiecto. Vnde patet maxima differentia, quæ est inter oppositionem duorum ubi & duorum qualitatum.

71. *Obiicitur secundo ex eodem & recentioribus aliis*: si ex natura sua haberent oppositionem, deberent illam habere in quocumque gradu tam bene quam in gradu summo: nam in quocumque gradu habent naturam suam intrinsecam tam bene quam in summo gradu: calor enim ut unus est eiusdem speciei, & perfectionis cum calore ut octo.

Propter hoc argumentum olim recurrebam partim ad capacitatem subiecti, & partim ad ipsam naturam formarum, & conformiter ad hoc negabam sequelam & dabam pro disparitate, quod subiectum erat limitatum ex natura sua ad tot gradus contrariarum qualitatum; unde tot poterat habere & non plures. Sed longe verius existimo, capacitatem subiecti nihil facere ad propositum; ipsi neque habere capacitatem ad formas, in quibuscumque gradibus ex natura sua intrinsece non sunt oppositæ, & prius debere cognosci in quibus gradibus sunt oppositæ secundum se quam possit cognosci quanta sit limitatio subiecti in ordine ad illas, quia alias non essent oppositæ magis quam duo frigora ut tria; & quia reuera subiectum habet capacitatem ad illas recipiendas in quibuscumque gradibus; alias de potentia absoluta non possent qualitates contrariæ in summo esse simul.

Respondet ergo aliter negando sequelam, quia quandoquidem non habeant oppositionem ex natura sua, nisi quatenus exigunt effectus incompatibiles, non debent habere oppositionem nisi in gradibus, in quibus exigunt illos effectus, ut est evidens: sed non exigunt illos effectus incompatibiles in gradibus quibuscumque, sed in aliquibus determinatis; neque enim ea or in quocumque gradu existit connaturaliter formam ignis, aut frigus formam aque: ergo non debent habere oppositionem in omni gradu; sed in gradibus aliquibus determinatis.

72. *Obiicitur tertio* Confirmationem. *Arriaga* præmissam, quod nempe ex hac sententia non possit ostendi, cur formæ substantiales non dicantur formaliter contrariæ.

Respondet primo, Authores omnes, qui negant formas substantiales contrarias adhuc: sserere calorem, & frigus esse contrarias: ergo sentiunt esse aliquam disparitatem inter illas, ratione cuius dicerentur hæ qualitates contrariæ, quamvis formæ substantiales non dicerentur contrariæ.

Respondet secundo, potius dicendum quod formæ substantiales essent contrariæ, si eadem esset ratio de illis, ac de his qualitatibus, quam quod hæ qualitates non essent ex natura sua contrariæ.

Respondet tertio, negando sequelam, quia contraria proprie dicta iuxta communem doctorum acceptionem debent posse se expellere ab eodem subiecto in hæsiōis, quod non competit formis substantialibus: & fortassis etiam debent contraria habere latitudinem graduum, ratione cuius possint se successive expellere; quod totum ta-

men dependet à questione de nomine; unde parum facienda est hæc obiectio.

CONCLUSIO III.

73. *Contrariæ aliquæ qualitates in gradibus remissis possunt esse simul naturaliter, non in summo. Est Doct. 1. distinctio* 19. q. 4. quem præter tuos sequuntur Thomistæ, & recentiores hic communiter contra Durandum 2. d. 30. q. 1. quantum ad primam partem.

Contra-
ria aliqua
possunt
esse simul
in gradi-
bus rem-
missis.

Probat ex Philoſopho 5. Physicorum: ubi dicit, magis & minus esse in qualitatibus, ex eo quod plus, aut minus inest contrariis; & 4. met. text. 26. ubi asserit, impossibile esse (intellige naturaliter) contraria simul inesse subiecto; sed aut ambo secundum aliquid; aut alterum simpliciter, alterum secundum aliquid. Quorum verborum communis interpretatio est, quod contraria simul inesse nequeant, nisi vel in gradu remisso, & æquali, ita ut tantum sit de uno, quantum de altero; vel ita ut plus sit unius quam alterius: ergo supponit posse esse his modis simul, & non posse in summo.

Probat prima per rationem, quia alias totum frigus aquæ destrueretur statim, ac applicaretur igni, & aliquantum calefieret, contra experientiam, & rationem: si enim totum frigus destrueretur, nihil impedit quo minus calefaciens totum calorem produceret: impedimentum enim producendi calorem statim, est resistentia frigoris, vel subiecti: sed non deberet magis resistere productioni ea oris quam istius alterius qualitatis, per quam totum frigus destrueretur: ergo totus calor deberet produci.

Probat secundo, quia aqua tepida habet aliquid caloris, & aliquid frigoris: quia potest calefacere, & frigefacere; potest enim frigefacere manum calidam valde, & calefacere manum frigidam valde; ut patet experientia: ergo.

74. *Dices*, aquam tepidam habere qualitatem mediam distinctam speciei à calore & frigore, qua mediante possit ea efacere, & frigefacere.

Contra, illa qualitas distincta, quæ esset in tali aqua, & per quam expelleretur frigus antecedens, esset producta ab igne, à quo aqua redditur tepida, ergo non esset frigefactiva: absurdum enim est, quod ignis habeat virtutem producendi aliquam qualitatem frigefactivam.

Contra secundo, quia inde sequeretur, quod non solus calor esset formaliter oppositus frigori, imo sequeretur, quod calor nunquam expelleret actu frigus; quia ante calorem semper expellitur.

Contra tertio, quia sequeretur ignem habere virtutem productivam qualitatum plurimarum distinctarum speciei in eodem subiecto applicato eodem modo: nam quando applicatur primo aquæ, producit aliquid quo destruitur totum frigus, secundum hanc sententiam, & quod non sit calor; & rursus paulo post producit aliud distinctam speciei, per quod illa qualitas primo producta destruitur, & ita paulatim semper producit, & destruit qualitates contrarias distinctarum speciei, donec producat calorem in summo, quod est absurdum.

Confirmatur, quia sequeretur, nullum agens esse calefactivum, nisi quod produceret calorem intensissimum, quod est absurdum; Probat sequelam: quia illa qualitas quæ non esset calor intensissimus, non esset calor, sed alia qualitas distincta rationis.

Confirmatur secundo, quia sequeretur, quod eliciens unum actum bonum temperantiæ, destrueret quidem habitum intemperantiæ totaliter, sed produceret alium habitum distinctum rationis, qui non esset temperantiæ, sed omnino magis determinatus ad actus intemperantiæ, quam temperantiæ, quod est absurdissimum.

Probat conclusio quasi à priori, quia non ex natura sua formaliter præcise habent oppositionem, sed quatenus exigunt effectus incompatibiles; sed in gradibus remissis Contraria non possunt esse simul naturaliter.

Probat secunda pars conclusionis à posteriori, quia videmus aliquid remitti de frigore, quando applicatur naturaliter agens calidum: ergo signum est quod in summo non possunt esse simul naturaliter.

KKK

Probaturo secundo, quia in aliquibus gradibus exiguntur effectus incompatibiles: ergo sunt incompatibiles in aliquibus gradibus; in nullis autem potius quam in summis, imo si in alii habere incompatibilitatem, consequenter deberent habere incompatibilitatem in summo, quandoquidem non possent peruenire ad summum gradum, quin transirent per illos alios gradus.

Dixi in conclusione, aliquas qualitates, non omnes: quia amor & odium, assensus & dissensus non possunt esse simul vilo modo.

75 *Obijciens primo*: magis repugnant calor & frigus in quocumque gradu, quam maius & minus frigus: sed hæc nequeunt esse simul: ergo nec illa.

Respondetur distinguendo maiorem: quam maius & minus frigus specificatiue secundum suam entitatem absolutam, transeat maior; quam maius & minus frigus formaliter, prout dicunt maiorem, & maiorem, hoc est, quatenus maius frigus excludit aliud minus frigus, non inclusum in semetipso, & quatenus minus frigus dicit negationem inclusionis, & coniunctionis cum maiori frigore in eodem subiecto, nego maiorem, & similiter distinguo minorem, & nego consequentiam.

Dices, sicut magis repugnat calor & frigus in quocumque gradu, quam duo frigora in vilo gradu: sed nec duo frigora in summo, nec vnum in summo, ac alterum in remisso possunt esse simul: ergo nec frigus & calor in vilo.

Respondeo negando maiorem, loquendo de frigore & calore, ut afficiuntur quocumque gradu intensiōis: quia ut in aliquo gradu non repugnant vlla ratione, ita non possunt magis repugnare quam quocumque alia.

Et licet per hoc satisfactum sit replicæ, tamen respondeo secundo distinguendo maiorem: quam duo frigora quocumque ex natura sua intrinseca, transeat; ex ratione aliqua extrinseca, nego maiorem, & similiter distinguo minorem, & nego consequentiam. Itaque duo frigora in summo naturaliter repugnant, quia nullum est agens, quod possit ea producere, nec passum quod possit ea exigere connaturaliter, non vero ex eo quod in natura sua reperiatur aliqua ratio repugnantia, aut secundum speciem, aut secundum gradum intra eandem speciem. Quod etiam confirmatur: quia nunquam potest produci, supposito altero summo. At calor & frigus possunt produci in eodem subiecto, & ex natura sua habent incompatibilitatem in aliquo gradu, licet non in omni, & expellunt se invicem: ergo maiorem habent incompatibilitatem, quam duo frigora possint habere, licet æque repugnet ea esse simul naturaliter.

76 *Obijciens secundo*: sequeretur, quod aliquid possit moveri simul motibus contrariis, quibus scilicet acquireret qualitates contrarias, verbi gratia frigus, & calorem; sed hoc videtur absurdum: ergo.

Probaturo sequela: quia inter motus non est maior incompatibilitas quam inter terminos eorum: ergo si non sit incompatibilitas inter frigus & calorem in gradibus aliquibus, neque erit inter motus ad ipsos.

Respondeo distinguendo sequelam: si per motus contrarios intelligitur motus, qui habent terminos contrarios, & oppositos ex natura sua in aliquibus gradibus, non tamen in omnibus, concedo sequelam: si per motus contrarios intelliguntur motus incompatibiles, nego sequelam; distinguo etiam minorem: et set absurdum, quod moueretur aliquid motibus contrariis, primo modo, nego; secundo modo, concedo, & nego consequentiam.

Obijciens ultimo: qualitates mediæ inter albedinem, & nigredinem, ut flauedo & viriditas, non includunt aliquid nigredinis, aut albedinis formaliter: ergo, nec qualitates mediæ inter calorem & frigus, ut tepiditas maior, aut minor.

Respondeo, supposito quod antecedens sit verum, negando consequentiam: quia habemus rationes, quibus probamus oppositum de tepiditate, non vero de flauedine, & viriditate; nec est necesse, ut qualitates eodem modo quoad hoc se habeant. Quod si albedo destrueretur

successive per nigredinem, & eadem ipsa causa destrueret ab initio albedinem, quæ directè introducit nigredinem; eodem modo diceremus de qualitatibus mediis inter albedinem & nigredinem, quo de qualitatibus mediis inter calorem & frigus.

CONCLUSIO VLTIMA.

77 *Qualitates contrarie possunt simul inesse subiecto in gradu summo de potentia absoluta*. Hæc est communissima cum Doctoribus hic contra Capreolum, Soncin, in summo Malsilien, & quosdam alios. Contraria possunt esse simul in summo supernaturaliter.

Probaturo primo, & principaliter, quia nulla in hoc apparet repugnantia, & aliqua alia, quæ tam naturaliter repugnant fieri, possunt fieri supernaturaliter, ut accidens conseruari extra omne subiectum, corpus circumscriptiue poni in duobus locis; & duo corpora penetratiue in eodem loco: ergo quamuis naturaliter qualitates huiusmodi nequeant esse simul in eodem subiecto, non debet negari quin supernaturaliter id fieri possit.

Confirmatur, quia nullum effectum actuale habet vna qualitas ex his necessario connexum, qui sit incompatibilis cum effectu actuali necessario coniuncto cum altera: ergo possunt supernaturaliter esse simul. Consequentia patet, quia eatenus repugnarent, quatenus haberent connexos huiusmodi effectus.

Probaturo antecedens, quia non habet calor effectum vllum actuale, nisi communicationem sui, qua mediante facit subiectum calidum, & potens producere alium calorem, ac terminare actum potentie sensitivæ, & excludere frigus, & frigus non habet alios effectus qui in proportionatos ad hos: sed in primis communicationes illæ non sunt incompatibiles, nisi quatenus alij effectus cum illis coniuncti necessario sunt incompatibiles: posse autem producere frigus, & terminare actum sensationis talis non est incompatible cum posse producere calorem, & posse terminare actum sensationis etiam oppositum, quia aliqua vnus potest habere naturaliter potentiam ad opposita, ut patet de voluntate, quæ potest nolle & velle idem. Denique, exclusio actualis frigoris est quidem incompatibilis cum frigore, sed illa exclusio non necessario connectitur cum calore: habetur enim illa exclusio formaliter per negationem concursus conseruatiui frigoris, quæ negatio posset haberi quamuis calor non poneretur in subiecto: nec potest ostendi cur necessario deberet esse illa negatio quoties calor esset in subiecto; unde solum debet esse vi caloris, quatenus calor exigit illam connaturaliter; ex hoc autem non debet necessario esse; quia multa quæ exiguntur connaturaliter ab aliquibus, non conceduntur ipsis etiam naturaliter; & quævis deberent ita naturaliter illa habere ut non possint iis carere naturaliter; tamen nisi ostendatur ratio necessaria connexionis, non debet dici quin possint iis carere supernaturaliter.

78 *Obijciens primo*: secundum Philosophum, 4. Metaphys. text. 17. si contraria essent simul, contradictoria essent simul: sed contradictoria non possunt esse simul etiam supernaturaliter, ergo nec contraria secundum Philosophum.

Confirmatur ex Scoto, 3. dist. 1. qu. 4. vbi idem videtur sentire.

Respondetur Philosophum non agnouisse potentiam supernaturalem Dei, secundum quam possit facere, & disponere de rebus aliter quam exigent connaturaliter, quia ponebat dependentiam essentialem inter causam primam, & secundas mutuo, & hinc negaret etiam simpliciter posse poni accidens extra subiectum, & multa alia, quæ de fide constat posse fieri, & in quibus, quo ad rationem etiam naturalem, nulla potest haberi repugnantia. Unde quia naturaliter loquendo vnum contrarium expellit necessario alterum, si aliter fieri non posset, sequeretur necessario quod si contraria essent simul, contradictoria etiam essent simul.

Respondeo ergo in forma concedendo totum; nec in hac re admittenda est Philosophi auctoritas. Quod si quis velit ipsum agnouisse etiam potentiam supernaturalem Dei

Dei, distinguat maiorem: supernaturā iter nego; naturaliter, concedo; & concessa minori, distinguat similiter consequens.

Ad confirmationem ex Scoto, Respondeo eum posse intelligi locutum iuxta mentem Philosophi, non iuxta proprium.

Deinde non dicit contraria non posse esse simul; sed quod si non esse possent simul in eodē subiecto, cui per se conveniunt, eodem modo non possent esse simul in illo, per accidens convenirent; quod verum est, sed non est propositum.

79 *Obiectes secundo*: Deus non potest impedire effectū formalem causæ existentis in subiecto, neque enim potest impedire quo minus albedo existens in subiecto faciat illud album; sed effectus formalis caloris est expellere frigus; ergo Deus non quit impedire quo minus ipsum expellat, quando est in subiecto.

Responderi solet communiter distinguendo maiorem; effectum formalem primum, concedo; secundarium, nego; & similiter distinguo minorem; effectus primarius, nego; secundarius, trāseat. Effectus itaque primarius, quem per se intendit, & quem posset habere albedo etiā per impossibile non daretur nigredo, est facere album, & hūc Deus nequit impedire, si albedo sit in subiecto, quia ab hoc præteritis habetur, neque indiget aliqua alia conditione, aut causa realiter distincta: expellere autem aliam formam est secundarius effectus, qui non intenditur per se, & non haberetur à forma nisi ex impossibilitate cum altera forma.

Confirmatur hoc quia Deus potest impedire illum effectum, quem potest præstare absque forma, & sine quo potest forma esse in subiecto; sed Deus absque calore posset expellere frigus, subtrahendo suum concursum, & potest calor induci absque actuali expulsiōe frigoris, ut si frigus non succederet; ergo potest impedire expulsiōem frigoris per calorem.

80 *Verum contra hanc responsionem facit*, quod etiam aliqui effectus secundarij formarum non possint impediri à Deo; neque enim Deus potest impedire quin forma expellat præteritionem sui, & tamen illa expulsiō est effectus secundarius ipsius; & rursus non potest impedire quo minus amor expellat odium, ut communiter supponitur, ergo ex eo, quod expulsiō frigoris sit effectus secundarius, & non primarius præcise, non sequitur quod possit impediri à Deo.

Et hinc patet confirmationem non valere, quia Deus potest similiter expellere odium absque amore, subtrahendo concursum; & potest amor induci etiam naturaliter quin odium præcesserit, & tamen non potest impedire quin si odium præcesserit, amor illud expellat.

Melius ergo respondetur distinguendo maiorem: effectum formalem necessario coniunctum cum ipsa forma, & non indigentem alia conditione aut ratione realiter distincta, quam inexistētia formæ in subiecto, concedo maiorem; effectum formalem non necessario coniunctum cum forma inherente, nego maiorem; & similiter distinguo minorem, & nego consequentiam.

DISPUTATIO XXV.

DE CONDITIONIBVS ALIQVIBVS
AD AGENDVM REQUISITIS.

AC disputatio instituitur hic principaliter, ut possimus cognoscere, quanam res possint alterare alias, easque ad generationē disponere, & quanam impedimenta possint dari actionis alteratiue ac generatiue; quæ etiam ratione hic solet tractari à multis de natura; Actionis ut sic, de qua egi in Logica ac Physica.

QVÆSTIO I.

Vtrum simile possit agere in simile.

Certum est experientia quod illud, quod est simile alteri in aliqua qualitate quod ad speciem, possit agere secundum illam qualitatem in alterum simile: sic enim aqua frigida potest frigidificare alteram aquam minus frigidam. Vnde sensus controuersie huius est, an illud quod est simile alicui in aliqua qualitate quoad speciem & intentionem possit agere in illud alterum secundum eandem qualitatem: verbi gratia, an calidum, ut quatuor, possit calefacere alterum calidum ut quatuor, seu producere in illo aliquid caloris.

CONCLUSIO

Simile nequit agere in simile. Hæc est communissima cum Philosopho hic.

Simile
nequit
agere in
simile.
Probatio
Complu-
tensium.

*Probat*ur primo à Complutensibus disputat. 8. quæst. 1. quia omne agens agit in quantum est in actu, & patiens patitur in quantum est in potentia; sed quodlibet ex duobus calidis, ut quinque, est in actu respectu caloris ut quinque, & neutrum est in potentia respectu talis caloris aut minoris, sed respectu maioris tantum; & deinde neutrum ex illis est in actu respectu maioris caloris; ergo neutrum in alterum agere potest.

Verum in hac probatione manifeste petitur principium: supponit enim quod probandum est, nempe calidum ut quinque non esse in potentia ad recipiendum plus caloris ab alio simili calido, & non esse in actu sufficienter ad efficiendum, quod alterum simile plus caloris habeat, quod est directe illud, quod est probandum.

*Probat*ur ab iisdem secundo, & aliis etiam Authoribus communiter, quia finis agentis est assimilare sibi passum; unde si inueniat ipsum perfecte sibi simile, non poterit in ipsum agere. Quod si obuiatur ipsis calos agere in hæc inferiora, & non in ordine ad assimilanda sibi ipsa, quandoquidem producant in illis qualitates, in quibus non sunt ipsis similes; producant enim calorem in inferioribus, qualem ipsimet non habent in se, ut communiter supponitur.

Respondetur agens dupliciter posse sibi assimilare passum, vel formaliter, vel virtualiter; formaliter quidem quando producit talem qualitatem in specie in ipso, qualem ipsummet habet; virtualiter autem, quando producit in ipso qualitatem, cuius producendæ habet virtutem, quamuis non habeat similem ipsi in specie qualitatem. Itaque cal agunt in hæc inferiora, ut reddant ipsa sibi similia virtualiter, licet non formaliter.

2. *Sed ut verum fatear*, mihi nunquam placuit hæc probatio primo, quia satis improprie dicitur aliquid simile alicui virtualiter ex eo præcise quod aliquid habeat quod continetur in virtute alterius; neque simpliciter solet dici quod paries ut albus est similis Deo, licet contineatur in virtute eius.

Secundo & præcipue, quia omnino videtur hic etiam peti principium; nam ideo colligimus finem agentis actione vniuoca, de quo agente hic principaliter agitur, esse assimilare passum, quia aliunde colligimus quod nunquam agat in passum sibi simile; & cui hoc esset incertum id etiam esset eque incertum; unde per hanc probationem ignotum per æque aut magis ignotum probatur.

Tertio, quia quamuis daremus finem agentis esse assimilare sibi passum, non sequitur quin etiam si passum esset aliunde sibi simile, deberet agere in ipsum, ut scilicet actione sua faciat ipsum simile.

Melius ergo probatur à posteriori, quia quamuis applicaremus duo frigida ut duo sibi inuicem, non inuenimus quod augebunt suam frigiditatem & si id possent facere, deberent augere illā mutuo usque ad octauum gradum; quia enim ratione frigidum ut duo posset producere aliquem gradum in alio frigido ut duo, posset etiam alium in frigido ut tria, & alium in frigido ut quatuor, & sic usque ad octauum gradum, quod est contra manifestam experientiam.